

terraque putrefactum nuda et exesa reliquerat vinculis: collecta publice sepeliuntur; domus postea rite conditis manibus caruit. Et haec quidem adfirmantibus credo: illud adfirmare aliis possum. Est libertus mihi Marcus, non illiteratus. Cum hoc minor frater eodem lecto quiescebat. Is visus est sibi cernere quemdam in foro residentem, admoventemque capiti suo cultros, atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos. Ubi illuxit, ipse circa verticem tonsus, capilli jacentes reperiuntur. Exiguum temporis medium, et rursus simile aliud priori fidem fecit. Puer in paedagogio mistus pluribus dormiebat: venerunt per fenestras (ita narrat) in tunicis albis duo, cubantemque detonderunt; et qua venerant, recesserunt. Hunc quoque tonsus, sparsosque circa capillos dies ostendit. Nihil notabile sequutum, nisi forte, quod non fui reus: futurus, si Domitianus, sub quo haec acciderunt, diutius vixisset. Nam in scrinio ejus datus a Caro de me libellus inuentus est; ex quo conjectari potest, quia reis moris est submittere capillum, recisos meorum capillos depulsi, quod imminebat, periculi signum fuisse. Proinde rogo, eruditionem tuam intendas, digna res est, quam diu multumque consideres: ne ego quidem indignus, cui copiam scientiae tuae facias. Licet etiam utramque in partem, ut soles, disputes: ex altera tamen fortius, ne me suspensum incertumque dimittas, cum mihi consulendi caussa fuerit, ut dubitare desinerem. Vale.

XIII. C. PLINIUS MAXIMO SUO S.

«Infirmirate et mortibus suorum turbatus solatium in litteris quaerit, et librum emendandum mittit.»

Et gaudium mihi et solatium in litteris; nihilque tam laetum, quod his laetius; nihil tam triste, quod non per has sit minus triste. Itaque et infirmitate uxoris, et meorum periculo, quorumdam vero etiam morte, turbatus, ad unicum